

diligenter intellecta petizione domini Martini de Rechaneto infrascripti, coram nobis facta, cuius quidem petcionis tenor talis est: « Iuolus preco communis Jadre, retulit et guarentauit michi notario infrascripto se, ad petcionem et instanciam domini Martini de Rachanetto, citasse et requisuisse Lucam marinarium infrascriptum, suam ut sequitur formantis petcionem, in hunc modum, uidelicet: Coram uobis, nobilibus et sapientibus uiris dominis indicibus cuiarum consulm et maris ciuitatis Jadre, conqueror ego Martinus quondam Dominici de Recanetto, habitator Jadre, de Luca marinario, ciue Jadre, patrino olim aposticio unius nauigii communis mei Martini, ser Vlatci Dragoribich, Johannis Vochsich mercarii et Dragosii calegarii ciuium Jadre, eo uidelicet, quod cum dictus Lucas habuerit et receperit a ser Georgio de Rosa, nobile ciue Jadre, modia septingenta salis, in Pago onnerata et posita in dicto nauigio, et a presbitero Bertucio archipresbitero Pagensi modia trecenta, nomine mei Martini supradicti, quam quantitatem salis predictus Lucas promisit et se obligauit michi Martino predicto Anconam in dicto nauigio portare, et ibidem discarricare, et consignare officialibus salis dicte ciuitatis Ancone, et hoc de anno proxime preterito et mense septembbris, pro precio siue naulo ducatorum septem auri pro quolibet centenario; et cum dictus Lucas, dictam quantitatem salis michi Martino predicto, nec officialibus supradictis, non reassignauerit neque dederit nisi tantum modia septingenta et quinquaginta salis; et cum pluries et de plano dictum Lucam requisuerim quod michi reddere et consignare deberet totam dictam quantitatem salis, meo nomine habitam et onneratam in Ancona, ut promisit, idem Lucas hoc facere non curauit neque curat de presenti, in mei non modicum preiudicium et iacturam. Igitur omnibus modo, uia, iure, usu et forma quibus melius et efficacius fieri potest et debet, ego Martinus predictus, peto et requireo, per uos dominos iudices antedictos et uestrum officium ac sentenciam, predictum Lucam marinarium ad michi dandum et Anchone asignandum modia predicta ducenta et quinquaginta salis, callo consueto deducto ut prefertur, uel ad michi dandum et soluendum ducatos uiginti auri pro singulo centenario salis deficientis ut supra, saluo michi omni alio iure addendi, minuendi etc. ». Et uiso prius termino trium dierum statuto ser Articucio aduocato rei ad se informandum; et uisa legi optimacione personarum; et uiso alio termino statuto ambabus partibus ad probandum, producendum et allegandum de eorum iuribus; et uisis testificacionibus testium productorum in iudicio coram nobis per utramque partem, et ipsis diligenter examinatis; et uisa confessione dicti Luce, coram nobis facta, de receptione tocius dicti salis, ac confessione ipsius domini Martini de receptione salis in Ancona facta; et uisa conclusione dicte cause; et generaliter uisis et diligenter examinatis et discussis omnibus et singulis que in predictis et circa predicta fuerunt uidenda, examinanda et discucienda, per ea que uidimus et cognouimus, et nunc uidemus et cognoscimus, CHRISTI NOMINE inuocato, sedentes pro tribunali sub logia magna Jadre, loco et more solitis, talem inter ipsas partes, hiis partibus presentibus, audientibus et intelligentibus, nostram sentenciam et pronunciaciōnem damus et proferimus in hiis scriptis et in hunc modum, uidelicet: quia dicimus et absoluimus, et sentenciando pronunciamus et redimus absolutum dictum Lucam a petcione sibi facta per eumdem dominum Martinum, quia nobis constat per testes fide dignos, per nos sub sacramento examinatos, et coram nobis per dictum Lucam productos,